Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

ARSENICO,

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DOMINO

GVILIELMO HENRICO,

DVCE SAXONIÆ, IVLIACI, CLIVIÆ, MONTIVM, ANGARIÆ, WESPHALIÆ, ET RELIQVA,

PRÆSIDE

GEORGIO WOLFFGANGO VVEDELIO,

HEREDITARIO in Schwartza/

MEDICINÆ DOCTORE, COMITE PALATINO CÆSAREO, ACRÆ CÆSAR. ET CATHOL. MAIEST. AC SERENISSIMORVM SAXONIÆ DVCVM CONSILIARIO, VINARIENSI AVLICO, ET ARCHIATRO, PRAXEOS ET CHIMIÆ PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO,

TOTIVS ACADEMIÆ ET FACVLTATIS MEDICÆ SENIORE,

PATRONO, AC PROMOTORE STVDIORVM SVORVM MAXIME VENERANDO,

PRO LICENTIA

VMMOS IN ARTE MEDICA HONORES, ET PRIVILEGIA DOCTORALIA MORE MAIORVM LEGITIME ACQVIRENDI,

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMISIT

IOHANNES FRIDERICVS BVCHKA,

SALFELDENSIS,

IN AVDITORIO MEDICO,

AD D. OCTOBR. MDCCXIX.

HORIS, ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS.

LITERIS IOHANNIS FRIDERICI RITTERI.

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,

DOMINO

IOHANNI ERNESTO

DVCI SAXONIÆ,

IVLIÆ, CLIVIÆ, AC MONTIVM, ANGA-
RIÆ, ET VVESTPHALIÆ,

LANDGRAVIO THVRINGIÆ, MARCHIONI MISNIÆ,
PRINCIPALI DIGNITATE COMITI HENNEBERGIÆ,
COMITI MARCHIÆ ET RAVENSBERGAE,
DOMINO IN RAVENSTEIN, &c.

PRINCIPI AC DOMINO SVO
CLEMENTISSIMO,

HANC DISSERTATIONEM INAVGVRALEM
CVM
HVMILLIMA SVBIECTIONE

Dat, Dicat, Dedicat

IOH. FRIDER. BVCHKA,
Med. Dd.

I. N. I.

PRÆFAMEN.

TRia ſunt obiecta in vita humana, quibus corpora noſtra afficiuntur, & gaudent vel læduntur, pro diverſo vſu, alimenta, medicamenta, & venena.

Alimenta nutriunt & conſeruant, Medicamenta alterant & immutant, Venena deſtruunt & corrumpunt.

Enimuero vita conſiſtit in calido & humido, elementis vitalibus,

in viſceribus elaboratis, in vniuerſo corpore diſtributis, quæ prout ſe habent, ſub diuini Numinis auſpiciis & directione, ita vita producitur, & ſanitate vel morbis afficitur.

Natura & Medicus, eiusdem miniſter, hiſce cognoſcendis, præſeruandis & curandis impendit operam, ſecundum ductum & normam eiusdem, cum ratione & medicamentis naturalibus.

Inter auertenda itaque prouide, grauiſſima inter alia ſunt venena, quæ corpori humano ſtruunt inſidias, vel aperto etiam marte internecionem minantur.

Hinc elegimus ſpeciem horum, pro Diſputatione Inaugurali, atrociſſimam, tanto magis neceſſaria

tractatione, quanto magis præcipites caſus offert & inopinatos, Venenorum nempe apicem, ARSENICVM. Huic opellæ vt DEVS Optimus Maximus clementiſſime benedicat, animitus precamur!

CAPVT I.

De
Arſenici Differentia, & Definitione.

VT tria præmiſimus, quibus corpus noſtrum afficitur in genere, ita triplicia etiam ſunt & dicuntur venenorum, ſeu φθοροποιῶν in ſpecie genera, vegetabilium, animalium, & mineralium, pro triplici nempe naturæ vniuerſæ regno.

Ita inter venena vegetabilia ſunt *cicuta*, *hyoſcyamus*, *napellus*, *colchicum*, & alia; quæ, ſi ad corporis rationem & nocendi modum reſpiciamus, reſpectiue & ordinarie magis afficiunt & deſtruunt *ſpiritus*, vitales & animales; animalia venena magis *humores*, ſeu partes fluidas: mineralia vero magis partes ſolidas.

Quamuis enim quædam etiam ad aliam claſſem videantur referenda, vel cantharidum exemplo; a potiori ta-

men vt omnino ſunt ſibi conſentientia, ita coniunctim melius ſic videntur ſingula congrua.

Arſenicum vltimam partem machinæ corporeæ potiſſimum corripit, adæquate tamen omnino & latius quoque reliquis deſtruendis concurrit, & ſic omnibus reliquis contra agit & præcellit.

Nominatur Græco nomine & origine apud *Dioſcoridem* arſenicum, apud *Theophraſtum Ereſium* & antiquos Græcos, quod *Galenus* notauit, *l. 2. de comp. medic. Sec. loc. c. 4.* arrhenicum, q. d. maſculum, ob ſummam fortitudinem, ſeu gradum læſionis & deſtructionis maximum.

Duplici ratione ab Autoribus prædicantur, Latinis quidem venena dicta, ab aliis, quod *in venas agant*, easque petant; aliis, a græco φένω, ſeu φονεύω, *occido*, vt innuatur cædes ſeu clades inde oriunda, vnde mors oriatur & interitus. Audit etiam aliis *auripigmentum*, vnde interpres Dioſcoridis vertit, loco arſenici in Græco textu, Latine *auripigmentum*, neque id adeo incongrue. Vt vero rectius hæc exprimamus, Arſenici nomen vſitatius & rectius ita dicitur vt genus, & ſpecies. Arſenicum vt *genus* comprehendit ſub ſe auripigmentum ipſum. Vnde arſenicum ſpecialius dicitur eſſe *auripigmentum* album, *Cardano* dictum.

Species vero vſitatæ potiſſimum ſunt quatuor, quæ vel natiuæ ſunt, vel factitiæ. *Natiuum* eſt arſenicum citrinum, foſſile, ex fodinis auri & argenti, a colore aureo dictum pigmentum, tum ad colorem flauum, tum viridem, ſi cum cœruleo miſceatur colore, vt cum indigo.

Factitium principale eſt arſenicum album, cryſtallinum inprimis, & κατ' ἐξοχὴν hoc nomine veniens, ſublima-

matum cum Sale & auripigmenti ſcobe ana, iuxta *Schrœderum* ; rubrum vero Sandaracham metallicam Græcorum vocant, quod pictores communiter Rauſchgeel vocant: quamuis alii aliter diſtinguant. Sic & hanc ipſam alii quoque ſeorſim faciunt, & *natiuam*, colore florido præditam: & *factitiam*, ex ceruſſa igne mediante ad colorem rubeum redacta, vid. *Rob. Conſtantinus* in Lexico ſub hac voce.

Sed hic maxime cauendum eſt, ne dum hanc nominamus, error contingat, cum hac voce quoque notetur gummi iuniperinum, optimum pro ſuffimento, vel aliis vſibus, contra catarrhos remedium. Hinc ne id cum venenoſa Sandaracha confundamus, conſultius eſt hoc epitheto, gummi, addito illud præſcribere, vt ſcapham ſcapham nominemus.

Seplaſiarii vero quidam arſenicum citrinum aliud ab auripigmento nominant & vendunt, quod ignis varietate ſine dubio effingitur.

Arſenicum hoc a *Paracelſo* vocatur fuligo metallorum, ab *Helmontio*, quod idem eſt, fumus metallorum, Germanis Hüttenrauch. In cryptis enim ſeu fodinis metallorum aura eiusmodi maligna & venenoſa ſuffocans, Schwaden vocant, non raro occidit laborantes, quamuis non promiſcue.

Apud Chimicos REALGARIS nomen occurrit, eiusdem ſignificationis. Realgar eſt fuligo, inquit *Paracelſus*, ſcilicet peſtilens, & facile interimens, idque non vno loco. Quo de videatur *Baſilius Valentinus Operum Chimicorum P. II. c. 3. p. 25.* & *Langius l. 1. epiſt. 43. p.m. 24.* Arſenico

co flauo hoc nomen Realgaris tribuit ſeorſim *Charas Pharmacop. Reg. Chim. c. 33. p. m. 890.*

Arſenicum tingit æs colore albo, ex quo mercurialis naturæ arguitur, & per mechanicam eſt quaſi mercurius ſublimatus natiuus, quo cum & in materia, & viribus ac effectu concordat & coincidit pernicioſiſſimo.

Definiri ergo commode poteſt: Eſt Venenum acre, acidum, ſalino-ſulphureum, mercuriale, corroſiuum, præcipue principiis vitalibus, cumprimis ſolidis, adæquate & reliquis internecionem præſentaneam intentans & actu inferens.

Venenum eſt *vniuerſale*, omnibus regnis, vegetabilibus, animalibus, imo & metallis ſuo modo ipſis, morticinum, κατ' ἐξοχὴν vero animalibus & partibus maxime ſolidis, interne & externe, idque præſentiſſimum, inflammans, rodens, deſtruens, aquæ forti, Mercurio ſublimato æquiparandum, & viribus etiam majoribus conſpicuum.

Caput II.

De

Signis & Effectibus Arſenici aſſumti vel applicati læſionum.

Conſtant nimirum ſingulæ arſenici ſpecies ſale minerali corroſiuo acerrimo, ſeptico, adurente & morſicante, cum vnctuoſo ſulphure ac inflammabili, & mercurio volatili intime maritato, vnde effectus edunt virulentos.

Inſtar

Inſtar omnium huc facit locus *Helmontii* in *Tumulo peſtis p. 867.* vbi ſcribit, ſe vidiſſe ſtomachum ancillæ perforatum, quæ volens biberat arſenicum. Ibidem vero teſtatur, in peſte ſe a ſectione mortui ſtomachum triplici eſchara iam perfecta pertuum. Simile exemplum ab arſenico ventriculi eroſi habet *Salmuth. Centur. 1. obſ. 10.*

Cum ante paucos annos ſutori ſponſa ipſiusmet iusculum adhibuiſſet, arſenico infectum, mox morderi ſenſit ventriculum, & ad vomitum anxium & copioſum coactum, qui non deſiit, donec ad mortem intra 10. 12. circiter horas adigeretur; Aperto cadauere, iuſſu Magiſtratus, ventriculus & inteſtina eroſa & inflammata fuere reperta.

Cum catellus lardum, arſenico pro necandis muribus infectum, noctu deuoraſſet, intra paucas horas mortuo, inteſtina ibidem inflammata deprehenſa ſunt. Tacemus exempla plura hinc inde annotata.

Idem quoque ab externis litibus fuit obſeruatum. Cum plebeio viro vnguentum arſenicale fuiſſet illitum in capite, id ipſum mirum quantum intumuit, cum ardore & dolore intenſo. Arſenicum hinc in vnguentis ad ſcabiem tutius omittitur, lethale enim fuiſſe videatur apud *Amatum Luſitanum Cent. 2. curat. 32.*

Et ſic ab internis læſionibus deducimur etiam ad externas. Enimuero vniuerſale eſt hoc venenum vtriusque generis, non ſolum interius aſſumtum necat & lædit, ſed etiam exterius idem fatum inde prouenit.

Notabile in hanc rem exemplum recenſet *Timæus, a Gulden-Klee l. VII. cap. XI. p. 317.* Pharmacopœus Colbergenſis in præparatione arſenici fixi occupatus, cum a va-

684.

poribus & ſumis venenatis non ſatis ſibi cauiſſet, in lipothymiam incidit. Exhibitis aquis quibusdam cordialibus, cum ad ſe rediret, de inſigni præcordiorum anguſtia, ſpirandi difficultate, ſiti inextinguibili, linguæ, faucium & gulæ ariditate querebatur, corpus hinc inde iactitabat; pedes inprimis, quorum dolore vehementer tenebatur; Aderant & vigiliæ perpetuæ, aliaque ſymptomata, quin & frequenter lipothymiæ repetebant.

Adeoque arſenicum non ſolum in ſubſtantia, & ore ſumptum, ſed & ſpiritus eiusdem & vapores naribus hauſtos, ſumme noxios & ſæpe exitiales eſſe obſeruatum eſt. Vid. *Wirdig l. 2. Med. Spirit. c. 5. p. 75.* vbi ſcribit: necant venena non intro ſolum aſſumta, ſed foris etiam & ſuperficietenus, vel per odorem tantum admiſſa.

Simile exemplum obſeruauit & vidit *D. Præſes noſter*, quod ſequens eſt. Anno M DCCV. d. 15. Febr. duo ſtudioſi hic loci cum occupati eſſent in cupro albo conficiendo, ineunte nocte id tentant in fornace hypocauſti, quod inhabitabant, facto foramine & impoſito vaſe, vt intus vapor diſcuteretur. Ipſi extus decumbentes & effectum expectantes a fumo venenoſo ad ipſos inde redundante fere extincti ſunt, lingua exerta, impotentes artubus, & tantum non ſuffocandi, vix propinquis vicinis ſignum neceſſitatis anxie dare poſſunt. Hinc foribus disruptis & feneſtris apertis mutato loco liberati ſunt; vnus qui propior iacuerat epilepticus quaſi ſpasmis diſtortus fuit, vtrique vero medicamentis bezoardicis & neruinis apoplecticis refocillati; conſecutus dolor capitis & vertigo aderat, toto pectore maculæ flauæ erupere, cum pulſu debili, debilitate corporis totius, per aliquot dies decumbere cogebantur, hinc euaſere.

Me-

Medicamenta dicta erant *tinctura bezoardica*, cum *mixtura ſimplici*, & *elixirio cephalico, ſpiritus apoplecticus volatilis* cum *ſpiritu ſalis ammoniaci*, *oleo lauendulæ* & *eſſentia caſtorei*; item *puluis bezoardicus* cum *cryſtall. mont. ppt.* a. ℈i. *bezoard. oriental.* gr. vi. vii. & *theriaca Androm.* ʒß. *pulu. bez.* ℈ß. *cinnab. nat.* gr. iix. *ther. cœleſt.* gr. ii. M. F. bolus.

Vti vero dato eiuſmodi caſu & læſionibus huiusmodi præſentaneis vrgentibus neceſſum eſt, vt mature ſuccurratur, alias de vita actum erit: ita operæ pretium eſt, omni humana ope, velificante diuino numine, auertere periculum præſentiſſimum.

Diximus iam de antidotis his ex parte, ſeorſim vero ad acrimoniam roſiuam etiam obtundendam & mitigandam commode adhibentur mucilaginoſa, lenta, obuiſcantia, *oleum amygdalorum dulcium*, *plantaginis* inprimis recens expreſſum delicatiſſimum, cum vino. Commendatur apprime cryſtallus montana præparata, &, vt potiorum ſaltim quorundam mentionem faciamus, porro laudari meretur *Amatus Luſitanus, Comment. in librum 1. Dioſcoridis p. 205.* qui commendat ſcobem *rhinocerotis*, &, cum præmiſiſſet nullum apud Indos validius aut potentius antidotum haberi, quam cornu vnicornis eorundem, ſcribit ſe illius ſcobem quantitate ſcrupuli in oleo contra epotum arſenicum dediſſe, vnde reiectum fuerit totum per vomitum, & ægrum liberum & ab orci faucibus ereptum manſiſſe.

Teſtatur idem *Diomedes Cornarius Hiſtor. admirandæ numero XIII. p. m. 445.* aſſumto bolo ex arſenici puluerisati drachma dimidia, cum conſerua roſarum præpa-

080.

rato, a bezoardici lapidis, ſine dubio orientalis, gr. x. fuiſſe conſeruatum, & ab omni veneni periculo liberatum ſaluum & incolumem manſiſſe. Vbi merentur legi latius omnia phænomena, ab hauſtu prius conſecuta, magnum ſtomachi cum eroſione incendium, faucium ardorem, oculos cum vertigine obtenebratos, non intellexiſſe loquentes, nec nouiſſe homines, genuum dolorem cum punctione, & hinc iuuamen a remedio conſecutum.

Cumque arſenici venenum cum mercurio ſublimato per mechanicam quaſi conueniat, referre huc poſſumus commode remedium ſimile, & huc applicandum, ex *Meibomio Commentar. in iusiurandum Hippocratis p. 129.* vbi plura habet, & inter hæc drachma ſemis mercurii ſublimati cuidam data, pro antidoto, cum eodem ſucceſſu, terræ ſigillatæ Sileſiacæ ex interuallo duplum eundem ab omni periculo liberaſſe.

Agmen claudat tandem *Antidotus Moibani ſeu Saxonica*, deſcripta & fuſe confirmata ac commendata experimentis in *Euporiſtis Dioſcoridis*, ſeu de curationibus morborum, quæ pars altera eſt *operum Dioſcoridis pagina 830. ſeqq.* vbi arſenicum ad ℈ii. ʒi illa, ipſa & cum aliis venenis debellatum in canibus, & hominibus refertur.

CAPVT III.

De

Vſu Arſenici.

NOtum illud: vbi virus, ibi virtus, ceſſit quaſi in paroemiam. Non carent venena virtute & actiuitate ſum-

ſumma, ſed hæc talis & tanta eſt in arſenico, vt cedat in noxam, vnde cogitatum eſt de correctione, & experimenta facta, annon poſſit cicurari, & innoxie propinari.

Anniſi ſunt hoc fine non pauci, ſeu chimica arte, ſeu miſcela aliorum, ſeu iactantia quoque & experimentis per mortes factis: idque partim antiquis iam ſeculis factum eſt, & tentatum, partim noſtro æuo quoque. *Arabes* in hoc velut primi numerantur, qui arſenicum ictero adhibuiſſe referuntur, apud quos tamen id non inuenimus niſi pro ſuffitu in aſthmate, quod tamen non imitandum eſt.

Rhaſes vero trochiſcos de Arſenico ad tuſſim plurimæ humiditatis, & phthiſin malam & aſthma cum ſuffumigatione commendat *Lib. I. cap. 34. de Antidotis.*

Mirandum eſt, quod refert *Langius lib. 3. Epiſt. 7. p. m. 936.* Georgium VVirth, Ludouici Hungariæ Regis Medicum, in aſthmatis & orthopnoeæ deſperatis caſibus, ex *diaireos* vncia vna, *arſenici puluériſati* vncia ſemis, *ſucci vrticæ* vnciis duabus, cum *melle roſato,* colato, quantum opus erat, electuarium parare, & quantitate auellanæ exhibere in more habuiſſe.

Apud nos vero primitus a Chirurgo arſenicum in febribus intermittentibus exhibitum fuit, quod quidem non ſine grauibus ſymptomatibus factum nouimus. Hinc vero idem & a Medicis celebratum eſt, inprimis cum theriacæ acceſſione, vnde curati ſunt nonnulli, inter alios vero etiam quidam Baro, qui tamen dimidio anno poſt mortuus fuit.

In mentem hic venit, non tam quod in Gallia, noſtra memoria, veneno occulto famoſa venefica nouerit operationem funeſtam differre in longinquum tempus, quod

vulgo nomine *poudre de Succeſſion* inclaruit, & notatum eſt. Ipſa vero, vt fama retulit, igne tandem combuſta fuit, digniſſima pœna.

Imo & hoc ipſum iam antiquitus non ignotum fuit, venenorum vim definitam reddi poſſe. Locus inſigniſſimus eſt apud *Theophraſtum Ereſium lib. 9. Hiſtor. Plantar. cap. 16. p. 189.* exemplo aconiti. Componi autem *ſcribit*, ita ferunt, vt certis occidere temporibus poſſit. Videlicet bimeſtri, trimeſtri, ſemeſtri, anno completo. Nonnullum etiam biennio, & reliqua. Quendam ab epoto Arſenico poſt elapſum annum obiiſſe memorat etiam *Amatus Luſitanus Centur. 2. obſ. 65.*

Aureum hinc monitum & cautela eſt *Helmontii Diſpenſator. Modern. text. 52.* Arſenicum, Auripigmentum &c. quantumuis fixentur ac dulcorentur, nunquam tamen ſunt intro ſumenda, vtut alii ſecus ſuaſerint. Foris tantum valent, aliaque vlcerum venena necant domantque, ſi prius ipſamet ſubacta ſint *pag. m. 375.*

Non temere puta nec promiſcue, ſi vlla ratione alia, id euitari queat. Celebratur eo nomine D. Rhefeld, pater, qui hoc pacto per arſenicum reſtituit leproſum, propinando inter alia ſucceſſiua leni doſi; aſcendendo octo diebus, & ſumendo cum theriaca. Mentio facta huius curationis legitur in Operibus *B. Michaelis pag. m. 328.* vbi tamen & illud notandum eſt: non ſolum minori doſi, & cum mora aliqua, id fieri iuſſum, ſed & in præparatione ibidem cum lixiuio recrementorum vuarum, facta ſolutione, hinc cum ſolutione ceruſſæ cum Aceto deſtillato, præcipitatione, ipſius arſenici minorem obtineri quantitatem, quæ & ipſa minus forte nocuerit; Videri de hoc locus integer ibi-

dem

dem meretur. Ab aliis putatur manum ſolum fuiſſe leproſam.

Confirmat has qualitates arſenici confeſſio vnanimis, calidum eſſe & cauſticum quarto gradu, adeoque in ſe nullo modo innoxium. Hinc inſtar omnium de vſu interno haud tuto, ſed noxio, etiam videri poteſt *Banzerus in Controuerſ. Med. Miſcell. 2. §. 5.* latius.

Exterius vero porro, *capillos euellit*, vnde inter pſilothra refertur quoque primo loco, cum calce viua, quo de vid. *Mynſichtum*, qui vnguentum de calce viva cum auripigmento commendat, ſed infidum, nec facile applicandum, licet vnguentum vel oleum roſaceum deſuper inungatur, vel ipſum oleum plantaginis, adeoque inter inuſitata potiori iure refertur.

Vſum Arſenici correcti in *Vlceribus* inſignem eſſe *Helmontius* deprædicat, vt ſexaginta fere, verbis eiusdem, eorum ſanet genera, caute tamen & in externis vſibus eo eſt vtendum merito.

Corrigitur vero & fixatur inprimis colliquatione cum nitro, in crucibulo, in prunas prouide poſito, licet maximo cum ſtrepitu & tumultu, fumo ibidem quoque eiusdem vitando, nec niſi per vices & moras parte poſt partem iniicienda, ab acido ſic difflato volatili ſulphureo, & reliquo fixato.

Cumque vſus hic Arſenici externus ſit potiſſimus, conſultum videtur de hoc paulo latius diſpicere. Non quibuslibet hic applicandus, ſed malignis magis, & potiſſimum in cancro. vbi iuxta Poëtam *Ouidium*

Vtque malum late ſolet immedicabile cancer,
Serpere & illæſas vitiatis addere partes.

Diſ-

Differunt in hoc opiniones Medicorum & Chirurgorum præcipuorum, quandoquidem arſenicalia laudantur ab his, culpantur ab illis; quos autores latius recenſere & euoluere noſtri non eſt hic laboris.

Liceat ſaltim nobis hanc in rem diſtinctione decidere ſententiam, reſpectu habito, partim ad cancrum ipſum, partim ad arſenicum quoque.

Quando, vt videtur quam optimum, cancer eſt mitior, minus venenatus & corroſiuus, vbi ſiccandum, abſorbendum, & hinc conſolidandum, cancer exulceratus, ad frugem prius reducendus; externis hiſce magis obſequium præſtat, & curatio ſuccedit. Vbi vero radix corroſionis eſt exceſſiua, indeque timenda eſt acrimonia & eroſio maior, fermento venenoſo grauiori, tantum abeſt, vt cicuretur & conſolidatio ſperari queat, vt potius indies in peiorem ſtatum vergat, & ad internecionem.

Similiter ab altera parte, Arſenicum ſibi relictum, vrens, mordicans & depaſcens, quid boni inde fuerit ſperandum? Alteratum, immutatum, inuerſum illud eſſe oportet. Hinc in vtroque caſu variat curationis effectus.

Laudabimus hanc in rem locum *Caſp. Hoffm. lib. 8. method. med. Galeni, in fine commentarii* vbi *ſcribit:* Laborabat ſuperioribus annis virgo prouectæ ætatis vlcere cancroſo in ſuperiori labio, in quo fruſtra occupabantur tonſores: ſuperuenit Empiricus e vulgo, qui curabat adhibitis cauſticis. Addit: An fuit arſenicum cryſtallinum pulueriſatum? quod vix videtur.

Quare alterum locum claſſicum ex *Paracelſo* laudabimus, conformem Helmontiano *lib. 2. Chirurgiæ minoris cap. 7. p. m. 31.* Præſtantiſſimum, *inquit*, etiam ad vlcera potentia remedium adferunt ipſa realgarica. Arſe-

Arſenicum enim quodcunque patens vlcus, cuiusuis etiam conditionis fuerit, validiſſime ſanandi ſufficientes vires habet, hoc ſuo proceſſu tamen, vt ſibi venenum, quod habet, auferatur ad hunc modum. Fixandum eſt per Sal vrinæ, demum in oleum per ſe ipſum conuertitur, quoduis vlcus patens perſanandi potentiſſimum.

Conuenire videtur hic modus cum iam laudato *Rehfeldiano* ſuperius, & prudentia Medici accedente prouide & modice illini poteſt, præmiſſis præmittendis & corrigentibus inſuper malignitatem, cauendo omnem exceſſum & noxam.

Quæ hic vero dici & addi poſſent alia, aliunde huc remittenda opinamur, ex *Hildano, Sennerto, Cratone* & aliis Practicis. Confer. *Hartmannus in Praxi chimiatrica* & alii.

Sic & in *Fiſtulis* curandis commendatur, quo de *Schola Salernitana* canit:

Auripigmentum Sulphur miſcere memento.
His decet apponi calcem, coniunge Saponi:
Quatuor hæc miſce, commixtis quatuor iſtis
Fiſtula curatur, quater ex his ſi repleatur.

Verumenimuero nec hoc æque valet, quin mitius cum eo procedendum, quam ſimplici & crudiori tali miſcela.

Sunt, qui altius aliquid ex Arſenico ſibi imaginantur, inprimis, qui Arſenicum album imperfectam eſſe lunam ſibi perſuadent, & Auripigmentum aurum imperfectum. Ita nouimus, quendam ſingulare quid venatum eſſe, Arſenicum in fuſum plumbum ſubinde & per vices iniiciendo, ſed plerumque incaſſum hactenus in eo laborarunt & ope-

 rati

692.

rati ſunt omnes. Alii cum cupro idem tractare ſategere, ſed plerique fruſtra fine tingendi.

Alias deprædicatur a non paucis pro *Amuleto*, præſeruatiuo in peſte longe optimo, quamuis non omnibus idem placere & innoxium vel vtile videatur, quo de quamplures egere, qui de peſte ſcripſerunt.

Nullus vero Autorum, ex noſtra opinione, fuſius & curatius de hoc ſcripſit, quam *Thomas Bartholinus in Ciſta Medica Haffnienſi, loculo XXII. Cap. VI. p. 230.* & ſequentibus.

Nobilitauit id inprimis, ex Autoritate *Iacobi Carpenſis* Medici ſui, qui primus fuit inuentor, Hadrianus VI. Pontifex Romanus, idque approbat loco citato *Bartholinus*, illudque Xenextum, ſeu tabellam ex Arſenico experientia nobilitatam comprobauit *Fallopius, Ingraſſias, P. Salius Diuerſus*, aliique Itali Medici, ceu diuinum medicamentum extulerunt.

Vna etiam alteraque deſcriptio ibidem habetur, quamuis non æque vel autores Medici conſentiant, nec in ratione reddenda ſint vnanimes. Satis nobis ſit, annotaſſe ſaltim, effluuia ſine dubio actiua ab aere miaſmata venenoſa diſpellere, ſiue ſimpliciori apparatu conficiatur, ex Arſenico & Auripigmento, ſeu maiori additione, vti *Xenexton Paracelſi* ibidem deſcribitur quoque.

Conſultum eſt, non crudum & nudum illud appendere, ſed linteo, ſindoni, vel ſerico duplicato incluſum in ſacculo, quo pacto loco huius *radix colchici* & *plantaginis*, experimentis iam publice confirmatis, ſecurius & certius geſtatur.

Eiusdem vero Xenexti loco etiam *Magnes arſenica-*

lis

lis Angeli Salæ ipſe tuto adhiberi poteſt, eodem fere pacto, modo tuto id fiat & prudenter. Proceſſus hic eſt:

℞. *Arſenici cryſtallini,*
Sulphuris communis vel cryſtall.
vel alterius melioris,
Antimonii crudi pulueriſati ana quantum vis.

Miſce & cucurbitulæ inde, igne arenæ forti liquentur, vt bacillo immiſſo filum quaſi inde educatur, tunc ceſſa, exime lapidem rubrum & puluerifa, vel aſſerua.

Eſt hoc bonum cauterium, ex nota *B. Ludouici*, ſi cutis primo parum ſcarificetur, intra biduum hinc vel triduum demum rite modificatur & ſeparatur. In cachecticis vero cauendum, quia ſæpe vltra modum dilatatur mortificatio, quod tamen etiam ab alio cauterio contigit nonnunquam.

Occaſione huius deſcribemus quoque *Emplaſtrum magneticum arſenicale eiusdem*, ex propria manu, quo feliciter vſus eſt in excreſcentiis & alias, & hoc eſt:

℞. *ammoniaci, galbani* ana ℥i.
terebinthin. qua Gummi ſoluantur, ceræ ana ℥ii.
magnet. Arſenical. ʒvi. *Terr. Vitrioli dulc.* ʒiii.
olei ſuccini guttas aliquot, ſi libet. F. Emplaſtrum.

Hic licet locus eſſet, de pluribus medicamentorum præparationibus ex Arſenico oriundis, & alibi deſcriptis, agere vel eadem recenſere; cum vero ante quamplures annos diligenter & curioſe de iis egerit *B. D. Paulus Gottfr. Sperlingius VVitteberga MDCLXXXV. in Diſſertatione chimica de arſenico* inſtar omnium; neque in Taxis ſeu pharmacopoliis habeantur, ſed maxime ob ſuſpecta, & non minus noxia, magis

ad pigmenta quam medicamenta referenda; conſultius de iis tacebimus, & pro ſcopo noſtro inpræſentiarum finem faciemus. Addi tamen poteſt dictis *Charas Pharmacop. Regia cap. 33. p. 889.* & *Glauberus in ſuis Operibus* &c.

Videntur nonnulli obtinere, vel venditare arcanum, quo ipſum Arſenicum transmutetur in dulcedinem per quadrantem horæ, quod alicubi *B. Ludouici* excerpſit & retulit, ex *Rochas*, qui hoc ad peſtem loco experimenti commendauerit, ſed librum eiusdem reperire de hoc non potuimus.

Qui vero præ aliis ſapere ſibi videntur, & ad deſperatos morbos in arſenico putant, ſe reperiſſe non quod pueri in faba, non tantum vt innoxium, ſed vt ſaluberrimum deprædicantes, abundent ſuo iudicio, nos melius conſuli putamus conſcientiæ abſtinendo, quam temere vel iactare hæc, vel extollere. Quare liceat nobis gaudere iudicandi & philoſophandi libertate: vtatur quicunque alius & ſua pro lubitu.

Tacemus denique, ad vſus mechanicos quoque a quibusdam impendi Arſenicum, vnde maſſam optimam pro ſpeculis deſcribit *Glauberus Furnor. Philoſoph. l. 4. c. 14.* verum ne extra oleas noſtras vehamur, hæc vel citaſſe & nominaſſe ſufficiat.

Qui hiſce talibus delectantur, legere etiam apud *Lic. Schmuckium* poſſunt *Secretor. naturalium chimicorum Theſauriolum numero XV. & XVI.* de mutatione Veneris in lunam *p. m. 55.* cum oleo Arſenici. Nos hic iubet Plato quieſcere.

SOLI DEO GLORIA!